Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Philosophia Aristotelica - Cod. Ettenheim-Münster 289

Aristoteles

[S.l.], [17. Jahrh.]

Caput 7tum

urn:nbn:de:bsz:31-130062

Visual Library

70 utrumque est, quia ad veritatem disjunctivae requiritur ut saltem unum membrum sit verum neque obest, si omnia sint vera. Eodem modo propositionaliter disjunctive, si maior est negativa. Sive mala est haec consequentia: vel Petrus scribit vel Paulus scribit, sed Petrus non scribit, ergo Paulus non scribit. Petrus scit utrumque scribere. Bona vero est haec consequentia: vel Adam fuit homo vel Eva, sed Eva non fuit, ergo Adam fuit.

Dices: ergo bonus erit hic syllogismus: vel hodie fuisti in templo vel non audivisti sacrum, sed audivisti sacrum, ergo non fuisti in templo; est ex disjunctivis, ergo si unum membrum est falsum alterum debet esse verum. R: N: antecedens, quia maior partim est disjunctiva partim conditionalis in tertio membro. Sensus enim est: vel hodie non fuisti in templo vel si fuisti non audivisti sacrum: si ergo affirmatur conditionatum scilicet te audivisse sacrum non potest negari conditio, te scilicet fuisse in templo.

Dices: ergo non erit bonus: vel Petrus movetur vel Paulus ambulat, sed non movetur, ergo ambulat, sed hic syllogismus non potest esse bonus cum praemissis existentibus veris est falsa conclusio. R: maiorem syllogismi implicite conditionalem et habere hunc sensum: vel Petrus movetur vel si non movetur ambulat, sed non movetur, ergo ambulat; ubi maior est falsa et syllogismus tum formaliter bonus, quod non implicat.

Caput ultimum

De syllogismo sophistico.

Definit sophisma ab Aristotele, quod sit oratio quae propter similitudinem quam habet cum syllogismo videtur esse syllogismus cum tamen non sit. Hinc ut alibi dicitur quia habet verisimilis apparentiam videtur habere probabilia, et non habet, videtur concludere et non concludit. Quod genus argumentandi haereticis familiare est, ut cum veritate non possint vincere fraudibus decipiant, quare iuvat aliquod eiusmodi fraudes breviter indicare. Deceptio haec multiplex est, uno fieri potest in materia, cum scilicet principia aliqua sophistica assumuntur in sensu in quo non sunt vera, ut si dico semper quod unumquodque tale, illud magis tale, sed propter sinistram inflictam hos lumbi fragium fractus dolet, ergo sinister magis dolet. Axioma est illud philosophicum et solidi, videbimus alium sensum habet, alii tendunt materiam probabilem pro certa et improbabilem pro probabili.

Altera deceptio tenet se in forma tum apparenter bona quae fraus aliqua omnes melius non potuerit deprehendi quam ex supradictis regulis, ad quas

velut ad libitum considenti suppositi syllogismi sunt probandi: ordinarie est vel medius terminus non distribuitur, vel maior distribuitur in conclusione non distributus in praemissis vel sunt merae negativae vel particulares, aut medius terminus singularis vel denique sunt quatuor termini propter mutationem vocis, significationis, suppositionis etc.

Tertius modus decipiendi tenet se tam ex parte materiae quam formae ut si dico: quod ego sum tu non es, sed ego sum homo ergo tu non es homo, ubi in conclusione distribuitur homo non distributus in praemissis, deinde est: omne quod movet est vivens sed ventus movet ergo ventus est vivens ubi nimirum movere denotat intrinsecam virtutem motus alterum virtutem extrinseco. potest praeterea fieri fallacia vel in voce vel in re per aequivocationem, ut: gallus cantavit cum Petrus negavit Christum sed paulus est gallus ergo paulus cantavit dum Petrus negavit Christum 2do per amphibologiam omissione additione vel mutatione unius vel plurium vocum ut Episcopi sunt sacerdotes sed templa sunt Episcopi ergo templa sunt sacerdotes. 3tio Petrus est homo sed homo est species ergo Petrus est species 4to sutor facit calceum sed calceus est corium ergo sutor facit corium, haec capra est mater haec capra est sartoris ergo haec capra est mater sartoris. aliquis oculus est necessarius ad videndum sed dexter oculus est aliquis oculus, ergo est necessarius ad videndum. sedens non potest stare sed Petrus sedet ergo non potest stare etc. ubi imo vox Episcopi sumitur diversimode in 2do homo accipitur in diversa suppositione in 3tio concretum sumitur semel materialiter et semel formaliter in 4to capra mutat significationem cum imo significet maternitatem dein possessionem in 5to oculus accipitur in maiore indeterminate in minore determinate 6tus procedit a sensu composito ad divisum talis syllogismus est etiam iste, probabile est dari distinctionem scotisticam probabile est etiam esse chymaeram ergo probabile est dari chymaeram ad quos similesque fallacias saepius recurrentes nota aliud esse potentiam simultatis et aliud simultatem potentiae. potentia simultatis datur ad plura simul ponenda talem potentiam ostendunt se habere ii qui simul possunt scribere loqui ridere etc. simultas potentiae est cum habeo potentiam ad plura non tamen simul et in sensu composito, sed successive et in sensu diviso ponenda. ita simul habeo potentiam sedendi et standi non simul coniungendi haec duo, sed quod possim vel hoc vel illud

unum scilicet post alterum facere unde similes syllogismi distingui debent v.g.: sedens non potest stare in sensu composito cedo diviso N. idem probabile est sed dari distinctionem et sic est probabile concedi ignorans in sensu diviso cedo composito N: vel datur potentia simultatis N: simultas potentiae cedo:

In re sit fallacia accidentalis cum subiecto tribuitur per se quod illi tum convenit per accidens vel vicissim si tribuitur accidenti quod convenit subiecto ita ut terminus sic denotat substantiam semel accidentiam idem cum tribuitur toti quod convenit parti vel vicissim: tales paralogismi sunt: ut album est totum accidentale hoc est albus ergo totum accidentale, ubi album imo reduplicative deinde specificative sumitur idem quod heri emisti hoc hodie comedisti sed heri emisti bovem cum pelle et cornibus ergo hodie comedisti bovem cum pelle et cornibus ubi comedisti denotat substantiam semel vel carnem secundum se dein partes integrantes et accidentia: talis syllogismus est quod cognosco Coriscum, Coriscus est veniens ergo cognosco coriscum venientem ubi vitium patet consideranti. neque vacat plura eiusmodi sophismata adducere, quae solvi possunt ex dictis.

Caput ultimum

De reductione syllogismi imperfecti ad perfectum

Multi multis claudunt suas formulas per explicationem reductionis syllogismi imperfecti ad perfectum sed non videtur esse opere pretium quare componis absolvo ut ergo saltem intelligas quid sit reductio nota 4. or modos directos imo figurae tam bene et evidenter concludere, ut fortis patet cum eo qui negat consequentiam non amplius verbis secundo post sophistae sedibusque pronuntiis esse agendum: atque hi vocantur syllogismi perfecti imperfecti vero sunt qui fiunt in modis indirectis non quod aliquo vitio sint indirecti sed quod eorum bonitatem statim capiat et ideo indoctus vel pertinax hoc consensus premissis neges consequentiam ut ergo ostendi possit male negari consequentiam et syllogismum esse bonum, sunt duo modos praescribit logici aliorum modorum syllogismos reducendi ad 4. or modos imo figurae atque ita ex imperfecto perfectum innegabilem syllogismum faciendi, unus modus vocatur reductio per impossibile alter reductio ostensiva qua quis postquam negatam bonam consequentiam cogitur vel fateri se eam prius male negasse, vel si hoc fateri nolit debeat admittere duo contraria vel duo contradictoria sic est vera.